

1251

CODICES

1252

taceam. Sed ad *Hugonem* (non *Vhricum*) de *Argentina* O. P. scriptorem Sec. XIII. pertinere, fat ostenditur in *Scriptt.* praediſi Ordinis T. I. p. 470. De traductore nostro vernaculo non habeo, quod dicam, nisi fortassis is sit *Thomas Dorniberg*, de quo ad *Cod. DCCXXXI.*

II. fol. 391. adscriptum est *Remedium* vel Praeservativum, ut vocant, *contra Pestem* vernaculum, quod incipit: *Hie ist cze wizen ein bewürte ercznei fur den gemainen gepresten. Zum ersten ob sich ein clainen drus hebēt vnder dem uchsē so ist gut ze lätzen auf dem selben arm an der ader die da haizzet Mediana &c.*

CCCXXII.

155 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 57. f. nitide scriptus, minioque distinctus est *Tabula alphabetica in IV. Partes Summae Theologicae Antonini Archiepiscopi Florentini*, non illa, quam concinnavit *Johannes Molitor*, quaeque quibusdam Sec. XV. hujus Summae editionibus adjuncta habetur, sed brevior, hoc Praefationis initio: *Sacra tradente pagina clare patet bonorum laborum semper gloriosum fore fructum &c.* Vocabulum *Christus* pro more illius aevi et ratione scribendi *Xpus*, inter literam V. et Y. quaerendum est. Ad calcem rubrica: *Explicit feliciter anno domini 1485.*

CCCXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 694 XVI. Folior. 465. 4. nitide scriptus Commentarios varios ad Theologiam Scholasticam pertinentes complectitur; atque I. *Explicationes Reverendi Patris (Franc.) Toledi in 3<sup>am</sup>. Diui Thomae de Sacramentis Quaest. 60.* In Scholis Romanis exceptae sunt, ubi Vir hic patria *Cordubensis* profitebatur, dum a *Clemente VIII.* primus Jesuitarum a. 1593. ad Cardinalitiam Purpuram adsumeretur. De ejus Scriptis, quorum Scholastica haec inedita sunt, adi *Alegambii Biblioth. S. J.*

II. fol. 61. *Quaestio de Angelis.* Et hanc et subsequas sine Auctoris nomine ad eundem *Toletum* pertinere putem.

III. fol. 176. *In Primae Secundae D. Thomae Quaestionem 109<sup>am</sup>. de Gratia.* Ad calcem legitur: 10<sup>o</sup>. Xbris 1566.

IV. fol. 259. *Tractatus de Indulgentiis.* Fine mutilus.

V. fol. 303. *Quaestio XXIII. de Praedestinatione et Quaestio XXIV. de Libro Vitae.*

VI. fol. 327. absque inscriptione *Tractatus de Trinitate.* Imperfectus.

VII. fol. 414. *Loci Veteris et Noui Testamenti de vita, passione et morte Christi.*

VIII. fol. 430. *Relectio quaedam (quae est secunda) Francisci de Victoria. De Potestate Ecclesiastica.* Fuit *Franciscus* celebrer O. P.